
H T

Ld Mountnorris sale by Evans – March 1833

1.18.0 (n. 171.)
6   92.
2.4.0

Mr Jadis's copy (with 4 maps) sold for 14.14.0



John Carter Brown.

5146

— T. No. 178. —

This is not Church 134 A

"Civitas Carthagena" acquired to complete this copy is in M D 9

Bigges, Walter

tr. of his Summarie and true

discourse

EXPEDITIO FRANCISCI DRAKI EQVITIS ANGLI IN INDIAS OCCIDENTALES A. M. D. LXXXV.

Quâ vrbes, Fanum D. Iacobi, D. Dominici, D. Auguſtini & Carthagena captæ fuêre.

Additis paſſim regionum locorúmque omnium tabulis Geographicis quàm accuratiſſimis.

LEYDÆ,
Apud Fr. Raphelengium.
M. D. LXXXVIII.

JOHN CARTER BROWN

EXPEDITIO
FRANCISCI DRAKI
EQVITIS ANGLI
IN
INDIAS OCCIDENTALES
A. M. D. LXXXV.

FRANCISCVS Drakus Eques Anglus, augere ſtudens nomen Principis patriæque ſuæ, de expeditione in Indias Occidẽtales iterum cogitauit, eamque in rem claſſem viginti quinque nauium parauit; in quâ fuêre bis mille trecenti tũ milites, tum nautæ, & eam in portum Plymouthenſem pridie Idus Septembr. A. M.D. LXXXV. deduxit. Capitaneos autem aliquot ſtrenuos aliosque viros nobiles comites habuit, quorum nomina iſta, Chriſtophorus Carleil Vicarius Generalis (vt vocant) homo rei militaris qua mari, qua terra peritiſſimus. Antonius Powel, Sergantus Maior exercitus totius, vt hodie dicunt. Matthæus Morgan, Ioannes Sampſon, Antonius Plott, Ioannes Marchant, Eduardus Wynter, Ioannes Goringe, Robertus Piew, Georgius Berton, Walterus Bygges, Richardus Stanton, Ioãnes Hannam.

Et hi quidem terrâ militiæ Duces ſiue Capitanei: mari, nauiumque præfecti, iſti. Martinus Frobicher Viceadmirallius vir rei maritimæ peritiſſimns, qui antè aliquot aliis expeditionibus etiam toti claſſi præfuerat, Franciſcus Knollis, Thomas Frenar, Gulielmus Cicel, Iacobus Carleil, Henricus Whyte, Thomas Drake, Thomas Seely, Capitaneus Riuers, Capitaneus Martinus, Capitaneus Baylie, Capitaneus Croſſe, Capitaneus Forteſcus, Capitaneus Carleſe, Capitaneus Hauukins, Capitaneus Erizo, Capitaneus Moone, Capitaneus Vaghan, Capitaneus Varney, Capitaneus Gilman,
Nobilesque alij multi, quorum nomina hîc non recenſentur.

Poſtquam hinc XVIII. Kalend. Octob. ſoluiſſemus, primùm venimus ad *Baionias inſulas* Hiſpaniæ, quò tum ventus aduerſus tum tempeſtas ſubitò exorta, & aquæ recentis penuria nos appellere

coegit. Vixdum anchoras ieceramus, cùm Generalis noſter naues omnes maiores minoreſque militibus & omne genus armis inſtrui, inque omnem euentum paratas eſſe iubet. Quo facto, conſcendit etiam Galeottam ſuum (ita genus nauigii quo ipſe vehebatur vocamus) vrbemque *Baionam* verſus tetendit, eam, Deo bene adiuuante, occupare cogitans. Vixdum dimidiam leucam huius itineris confeceramus, & ecce quidam mercator Anglus à præfecto vrbis ad nos mittitur, quæſitum, qui cuiatesque eſſemus. Cum quo Generalis noſter aliquandiu collocutus, accerſiuit ad ſe Capitaneum Sampſonem eumque ad Præfectum miſit, duo ſciſcitaturum quorum certior ab ipſo fieri vellet. Primum, bellum ne apertũ inter Anglos Hiſpanosque eſſet: deinde, cur mercatores noſtri illic cum mercibus ſuis detinerentur. Qui vt cum mercatore in vrbem venit, vidit ciues omnes Præfectumque ipſum non parum attonitos ac turbatos ob tam repentinam tantæ rei nouitatem. Interea Generalis noſter, conſilio Chriſtophori Carleil Vicarii ſui Generalis, conſtituit ſibi non alibi morandum diutius, ſed vrbem ipſam propius accedendam: vnde, ſi fortaſſis ita facto opus eſſet, reuerſo Sampſone, faciliùs ante tenebras præter opinionem omnium, eam occupare aut etiam oppugnare poſſet. Rediit inde Sampſon, cum hoc reſponſo. Primum, quantum ad pacem aut bellum: Præfectum non habere quid reſpondeat; vtpote qui vnus è ſubditis Regis ſui dumtaxat eſſet, penes quem, non ſe, belli indicendi poteſtas eſſet. Mercatores autem eorumque merces mandato Regis detentas fuiſſe, non tamen eâ mente vt damni quid inde paterentur: & ante octo dies aut circiter eiuſdem mãdatum promulgatum eſſe alterum, mercatores Angli cum mercibus ſuis liberè ire quò vellent ſinerentur. Ad cuius rei fidem mittebat vnà ad nos noſtrę gentis mercatores aliquot qui tum in vrbe erant, & in partibus illis negotiabantur. Qui, cùm id quod res eſſet, Generali noſtro expoſuiſſent, in conſilium à noſtris itum, quid potiſſimum facto opus. optimumque & neceſſarium viſum, ob noctem iam imminentem, quamprimum in terram ire. id quod demum iam multâ veſperâ factum eſt. Vbi, lecto loco, noſtris, quàm fieri poterat, commodiſſimo, vigiliisque vbique diſpoſitis, totam noctem conquieuimus. Quò poſtridie, ad nos reficiendos, Præfectus vrbis miſit panem, vinum, oleum, poma, uuas, marmaladum (ita ſcitamentum quoddam mellitum ipſi vocant) & id genus xenia alia. Circa mediam noctem ſubitò mutata aëris tẽpeſtas conſilium

nos

nos etiâ mutare coegit: tutiusq; viſum nos quamprimum in naues noſtras recipere, quàm diutius ibi hærere. Sed antequam ad claſſem noſtram peruenire poſſemus, tempeſtas ingens repentinò oborta; ita vt pleræque naues anchoris ſolutis fluctuarent, aliæ, non ſine magno diſcrimine vectorum, committere ſtatim vela ventis cogerentur: inter quas quædam nomine Tallebot, item alia Haukins, & alia quæ vocata Speedwel. hæc ſola variè agitata in Angliam appulit: duæ iſtæ nos iterum ſecutæ, & adſecutæ. Trium dierum hæc tempeſtas fuit. Quæ vt primum ſedauit, Vicarius Generalis Carleil à Generali noſtro cum ipſius Galeotta aliaque naui ſua & tribus alijs, minutisque aliquot nauiculis ad vrbem *Vigonem* miſſus viſere, ſi quid ſibi illic locisve vicinis prædæ aut emolumento eſſe poſſet. Vbi naues aliquot cepit ſupellectile multa aliisque haud magni pretij rebus onuſtas. ſed inter eas vna erat quâ donaria vecta templi maioris Vigonenſis, argenteaque vtenſilia multa: & in iis magna quædam crux, pretij item magni, artificioſiſſimè cælata deaurataque. Conqueſtos ciues pòſt intelleximus, ea quæ vice iſta amiſerant plus quadraginta millibus Ducatorũ valuiſſe. Poſtero die ex hiſce inſulis Generalis noſter ſoluit, & *Vigonem* à tergo relinquens, portum non procul inde ſibi quàm commodiſſimum delegit, tam ob ſtationem nauium tutiſſimam locique opportunitatem, quàm etiam ob aquam ibi recentem. Vbi dum claſſis noſtra ſedet, Gubernator *Galliciæ* (regionis, vt volunt, olim Callaicis inhabitatæ) manum tot militum quot potuit ſubitò collegit, vt videbatur, bis mille peditum & equitum trecentorum: cumque iis in eam partem regionis conceſſit vbi optimè claſſem noſtram in conſpectu habere poſſet: atque ibi ſuos manere iuſſit. Vnde ad nos miſit qui Generalem noſtrum ad colloquiũ poſceret. quod conceſſum eâ conditione, vt in actuariâ aliquâ aut aliâ minutâ naui ad eum veniretur, obſidesq. vtrinque darentur. Quod ſtatim vt ratum habuit Gubernator, cum duobus comitibus ſeſe ſcaphæ noſtri Viceadmirallij cõmiſit quæ pro eo ad littus miſſa fuerat: eique Generalis noſter cum ſcaphâ itidem ſuâ obuiam proceſſit. Vbi conuenit, aquæ recentis tantum quantum vellemus vſuique noſtro neceſſarium eſſet, nobis per homines noſtros haurire, aliaque omnia ad nos reficiendos, pretio iuſto perſoluto, ibidem comparare liceret. Sic inde ſoluentes, velificati ſumus verſus inſulas *Canarias*, occupare rati inſulam *Palmam*, ibique meliori ordine diſponere res noſtras, & nos rebus omnibus neceſſariis plenius inſtruere quas regio

illa copioſiſſimè ſuppeditatura eſſet. Sed quia nuſquam appellere poteramus niſi ad locum quemdam pluribus propugnaculis munitiſſimum, expoſiti ſemper iactibus tormentorum bellicorum, pedem referre inde coacti ſtatim fuimus;crebris Canonibus (ita hodie tormenta bellica maiora vocant) nos petentibus,quibusdamq́ue eorum ad naues noſtras vſque peruenietibus globis,tam magnis quàm vlli alii quorum hodie vſus. Sed imprimis nos iſtinc etiam abire cogebāt maris tunc æſtus verticesq́ue maximi, qui actuariis nauibus noſtris ſcaphisq́ue exitium præſens minabantur. Hac igitur inuadendæ inſulæ huius ſpe fruſtrati, petiuimus aliam, Inſulam *del Ferro* vulgò dictam; (hanc quidā Pluitaliam olim dictā volūt) ſi fortaſſis ibi melius nobis ſuccederet. Ad quam vt appulimus, mille milites ſtatim terram intrare iuſſi,inq́ue valle collocati,ad radices excelſi cuiuſdam montis. Vbi tres quatuórue horas dumtaxat morati ſumus : cùm interea indigenæ ad nos veniunt adducentes ſecū adoleſcentem Anglum eiuſdem regionis incolam,qui nobis inſulā tunc pauperrimam atque in miſerrimo ſtatu eſſe adfirmabat, eosq́ue ferè iam eò egeſtatis deueniſſe,vt inedia morerentur. Quod comperto eſſe veriſſimum, inanes inde diſcedere nauesq́ue ſtatim conſcendere, & eâdem illâ nocte verſus oras Africæ tendere, Auſtro Subſolanoq́ue ventis ſpirantibus,iuſſi ſumus.Die Sabbati Idibus Nouembr. peruenimus ad regionem vulgo *Capo Bianco* dictam,ſolitariam valde & depreſſam : vbi mari perquam vadoſo piſcium vim magnam cepimus.Poſt venimus ibi ad locum quemdam, (ſtatio nauium eſſe videbatur) vbi naues aliquot Gallorū bellicas offendimus quas, præfectis earum ſiue nauarchis quam humaniter prolixeq. exceptis, ibi reliquimus. Prandio ſumpto, claſſis noſtra iterum congregata, quæ variè antè dum piſcamur, hîc illîc diſperſa fuerat. Vnde volauimus verſus inſulas *del Capo Verde* dictas, nauigantes vſque ad XVI. Kal. Decembr. cum mane ſummo obtulit ſeſe conſpectui noſtro inſula *D. Iacobi* : & ſub veſperam anchoras iecimus inter oppidum nomine *Play* vel *Pray* & *Fanum D. Iacobi*, quæ totius inſulæ metropolis illiq́ue dans nomen. Hîc mille milites in terram deſcendere, duce Chriſtophoro Carleil Vicario Generali noſtro, qui tunc rem ibi, vt & ſemper aliàs, prudenter & ſtrenuè geſſit. Via quâ primum ire debebamus difficilis valde & ſalebroſa erat, vt pote in quâ colles conuallesq́ue innumeræ, & ſaxa obuia multa, ad quæ offenderemus. A quibus dum nobis cauemus, ordines noſtros deſerere ſæpius coacti

fuimus.

fuimus. Sed non prius nos quieſcere paſſus dux noſter quàm in planum apertumque campum agmen omne eduxiſſet, & ibi quemq. ad ordinem ſuum redire iuſſiſſet. Cumque ita per planitiem instructâ acie progreſſi, dimidiâ leuca duntaxat ab vrbe eſſemus: vlterius pergere aut quid moliri amplius quemquam ante diem exortũ idem Vicarius Generalis vetuit: quod neminem qui nobis viam ad vrbem monſtraret haberemus, & nos locorum ibi omnium ignari eſſemus. Qui, illic aliquâdiu vt quieuimus, ſemihoram ante diluculũ tripartitò copias ſuas diuiſit. & iam dum ordines noſtri diſponuntur, dies inalbebat. Acceſſimus propius ad vrbis mœnia, nec quemquã qui nobis hoſtiliter reſiſtèret offendimus. Quocirca dux noſter Capitaneos Sampſonem Bartonemque quemque cum triginta ſclopetariis deſcendere quamprimũ in vrbem iuſſit, quæ in depreſſâ conualle ſita erat: ita vt facile è tumulo montis quem inſidebamus, tamquam è ſpeculâ, quid in eâ eſſet aut ageretur ab vnâ parte ad alteram deſpicere poſſemus. Quò etiam ſtatim vexillum noſtrum magnum miſimus cruce dumtaxat rubra, inſigni Anglico, diſtinctum, mare verſus erigendum; vt claſſis noſtra ſignum ſuum Regium in propugnaculis hoſtium conſtitutum etiam videre poſſet. Hîc mandatum ſtatim, vt tormenta bellica omnia quæ in vrbe adque eius moenia eſſent, in memoriam inaugurationis Regiæ vſque ad quinquaginta, igne iniecto, euacuarẽtur: quemadmodum in Angliâ ſingulis anniuerſariis xv. Kal. Decembr. diebus fieri vbique ſolemnis moris eſt. Quibus pari ſtrepitu claſſis noſtra, quæ iam appropinquauerat, per ſua etiam tormenta bellica reſpondebat. Fragor ingens erat, qui, mirabile dictu, quam diu durauerit, aureſque noſtras & incolarum verberauerit. Interea dux noſter maiorem partem militum in vertice montis detinuit, donec iis in ciuitate de manſionibus prouiſum eſſet: & mox cuique Capitaneorum regio vrbis adſignata eſt, magnâ cum curâ vigiliis vbique diſpoſitis; ita vt ab hoſte metus nullus eſſet. Sic hîc morati per quatuordecim dies ſumus. vbi prædæ loco nobis ceſſit quidquid locus ille ſuppeditabat, vinum, oleum, acetum, farina & huiuſmodi mercimonia alia, quæ inde à mercatoribus in Indias tranſmitti conſueuerant: auri autem vel argenti nihil, nec res quæpiam alia maioris momenti. Sub idem tempus dũ ibi adhuc hæremus, euenere quædam alia quæ non indigna hîc etiam referri. Venit quidã ad nos cum ſigno induciarum: ad quẽ ſtatim Capitanei Sampſon & Goringius miſſi. A quibus ille primum quæſiuit, cuiates eſ-

tes eſſent. Cui illi, ſeſe Anglos eſſe. Rogauit deinde, bellúmne igitur inter Hiſpanos atque Anglos indictum eſſet? Reſpondêre noſtri, ſeſe non habere quid ad illud reſpondeant: ſed ſi iſtius rei certior fieri vellet, Generalem noſtrum adiret: commeatus loco ſeſe fidem ſuam interponere, illum ſaluum illæſumq. iturum rediturum. Sed ille propius accedere recuſauit, quòd à Præfecto ſuo miſſus non eſſet. Tum illi: Præfectum ſaluti populi patriæque conſulturum, ſi ſeſe Generali noſtro ſiſtere vellet, atque eius clementiam humanitatemq. erga ſe ac ſuos experiri potius, quàm vt noſtris ante triduum facere, ſententia ſtabat, omnia flamma ac ferro videre vaſtari. Cum quo reſponſo abiit, promiſitque ſe poſtero die rediturum: ſed nullus pòſt venit. VIII. Kalend. Decembr. cum ſexcentis militibus adiuimus pagum quemdam in regione *S. Dominici* duodecim leucas à mari ſitum. quem cùm intraremus, locum vacuum offendimus & ab incolis derelictũ, qui in proximos montes tutelæ ſui cauſsâ confugerant. Quapropter aliquantiſper hîc ſubſtitimus, ſi fortaſſis quiſpiam eorum nobiſcum colloqui vellet. Cumque iam ſatis quieuiſſe videremur, Generalis noſter ſuos eò vnde venerant redire iuſſit. & ecce, in viâ cum equitibus peditibusque aliquot hoſtis ſeſe oſtendit, non tamen eo numero, vt nobiſcum manus conſerere auderet. Ad quem dum reſpicimus, veſpera appetiit interim, ita vt vix ante noctem ad *Fanum D. Iacobi* peruenire poſſemus. Die Lunæ VI. Kalend. Decemb. Generalis noſter omnes naues maiores minoresq. paratas eſſe, easque milites conſcendere iuſſit: Vicarius autem eius Carleil Capitaneum Goringe cum Vicario Tuckſo & centum ſclopetariis miſit ad forum vrbis obſeruandum tantiſper, dum copiæ noſtræ in nauibus eſſent; quas in portu cum aliquot actuariis minutiſque nauibus Viceadmiralius expectabat, inde eas in naues maiores impoſiturus. Iuſſit præterea Generalis centuriam Capitaneorum Berton & Bygges Galeram (ita genus nauigij maioris hodie vocamus) duasq. naues actuarias conſcendere, & duce Sampſone, ciuitatem *Play* porrò pergere, ſcrutatum inſtrumenta tormentaque bellica illic recondita, vt à captiuo quodam pridie à nobis capto qui locum etiam indicare promiſerat, intellexeramus. Eò vt appulerunt, Capitaneus Sampſon captiuum ſtatim ea quæ occultari illic dixerat, monſtrare iuſſit. Quod ille facere non potuit, aut potius noluit. Sed nihilominus ſecretiora loca pleraque perluſtrarunt, inueneruntque duo tormenta maiora, ferreum vnum, æneum item

vnum

vnum. Poſt meridiem Generalis claſſis reliquam partem anchoras etiam iacere ante eandē vrbem, quam nos incendere atque quam pote citiſſimè ad naues redire iuſſit. id quod repentè factum: & claſſis circa horā ſextam veſpertinā vela iterum ventis tradidit. Sed antequam vlteriùs progrediamur, de ordine diſciplinâque militari in inſulâ illa *S. Iacobi* nobis obſeruatâ, atque aliis quibuſdam memoratu non indignis, quædam etiam dicenda nobis. Quiſque ibi Capitaneus delectum militum ſuorum habebat: qui iuſiurandum adacti, ſe Regiæ maieſtati Anglicæ vt ſupremæ dominæ, fideles vſq. ad mortem futuros, Generalis eiusque officialium iuſſis ſemper obtemperaturos. Illud autem imprimis mirabamur, quòd omni eo tempore quo illic hærebamus nec inſulæ à rege Hiſpaniarum Præfectus, nec Epiſcopus ciuitatis cuius magna ibi auctoritas, nec ciuiū aut incolarū quiſquam nos accederet (è quibus vel a quibus aliquos eam ob rem venturos indies expectabamus) qui rogaret, ea quæ aſportabamus reddere, aut ſaltem non omnia illis ad vitam neceſſaria auferre, neu vrbem incendere vel omnino delere vellemus. Et quamquam vſque ad duodecim leucas Anglicas (vt ſuprà dictum) in regionem illorum penetraſſemus, vbi Gubernatorem cum Epiſcopo eſſe, nosq; aduenietes fugere audiebamus; & inde redeuntes, illos quòd ſe nobis procul oſtendiſſent, expectaremus: tamen numquam ad nos propius accedere voluerunt; etſi oppidò paucos numero mitteremus qui eos ad colloquium poſcerēt. Cuius diffidentiæ inſolitæ cauſſam fuiſſe ſuſpicor, memoriam adhuc recentem iniuriæ maximæ ab illis ante triennium illatæ Gulielmo Haukins Plymouthenſi, qui illâc etiam expeditione ſuâ iter habuerat, ergaq; quē fidē datā violauerant. Quod facinus, quia id iam paucis ignotum arbitror, repetere hîc vicem hanc ſuperſedebo. Indignè igitur ferentes quòd colloquium ſemper nobis denegaſſent, tum quòd cadauer pueri cuiuſdam noſtratis temerè in viâ repertum, capite obtruncato inteſtinisque extractis crudeliſſimè deformaſſent, domos omnes tam rure quàm in vrbe, illinc abeuntes, incendimus. Vnde porrò Occidentales Indias verſus pergētes, nō ita diu in mari fueramus, cùm nos morbi genus quoddam inſolitum, quaſi contagio quædam, ſubitò inuaſit, & è noſtris pluſquam trecentos intra exiguum tempus è medio ſuſtulit: quam nō prius ſenſimus quàm octo dies poſt noſtrum ex *inſulâ D. Iacobi* diſceſſum, ad quod vſque tempus numerus noſtrûm omnino integer adhuc fuerat. Sed &

pòſt multi etiam ardidâ febri correpti fuere, è quibus pauci in vitâ remanſerunt, illique quidem non parum diu pòſt, mẽtem ac membra viresq́ue omnes vi morbi continuâ debilitati. In corporibus quorumdam mortuorum maculæ exiguæ quædam apparebãt, non abſimiles iis quibus cutem illorum qui peſte laborant conuariari plerumque videmus. Inter autẽ octodecim dies ab *Inſula D. Iacobi* ad *S. Dominici*, primam Indiarũ Occidentalium inſulã ad quam appellebamus, peruenimus. Sed in aliâ *Inſula S. Chriſtophori* dictâ ad Occidentẽ ſitâ diebus aliquot, videlicet Natalium Seruatoris noſtri ſolemnibus, morati ſumus, ad reficiendos ægrotos, purgandasq́ue & aëri ſalubriori exponendas noſtras naues. Vbi Generali noſtro, Vicario, Viceadmiralio ceterisq́ue Capitaneis ſententia ſtetit, inde verſus *Inſulã Hiſpaniolã* vela facere; cũ etiam ex tunc vires noſtras recuperaſſe videremur. Quò nos imprimis *Fani S. Dominici*, vrbis iſtis partibus antiquiſſimæ, fama pelliciebat. In itinere celox quædam eôdem tendens nobis obuiam venit: quæ à nobis capta ſtatim, eiuſque vectores ſuper omnibus quæ expeditioni noſtræ conducere poſſent, quam diligentiſſimè interrogati fuerunt. Inter quos vnus erat qui nobis indicabat portum perquam arenoſum, regionemq́ue circũcirca optimè munitã, & propugnaculũ quoddam eſſe tormentis bellicis maioribus pluribus inſtructum: ita vt in terram deſcẽdere, niſi decem ab vrbe paſſuum millibus, absq. ingenti periculo non poſſemus. Cuius viæ ſe nobis ducẽ fore etiã pollicebatur. Quibus intellectis, ſub veſperã milites noſtri in actuarias naues minutasq. alias deſcẽdere iuſſi ſunt, & Generalis noſter etiã in phaſelũ, quæ Franucis nominabatur, ſeſe dedit. Noctẽ totã nauigabamus; haud multũ conficientes itineris donec, aurorâ exoriente, locũ quẽ petebamus, in cõſpectu habuimus. Itaq. Kalendis Ianuariis ad terrã applicuimus nouẽ aut decẽ paſſuũ millibus, Occidentẽ verſus, ab elegantiſſimâ *S. Dominici* vrbe; cùm in id vſque tempus nõ locus alius cuiquam cognitus ibi eſſet, minoribus nauibus magis tutus, aut vbi æſtus maris iis facilius ſuperarentur. Hinc igitur, videns ſuos omnes in terrã eſſe, Generalis noſter ad claſſem ſuam quamprimum redijt, & nos tutelæ diuinæ ductuique Vicarii ſui Carleil commiſit. Pòſt, horâ octauâ antemeridianâ, agmen noſtrũ incedere cœpit; & circa meridiẽ propius ad vrbẽ venimus: cùm nobiles aliquot principesq. ciuitatis pluſquã cẽtũ quinquagintà in pulcherrimis ſeſe equis nobis oſtenderũt. qui, à Muſquetteriis atque Hacquebuſeriis noſtris, qui

egregiè

egregiè à lanceariis protegebantur, quam creberrimis globis petiti, nullâ vi in nos irruere potuerunt: quos, acie inſtructâ optimè, diſpoſitos & ad dimicandum paratiſſimos offendebant, & iam appropinquantes portis mœnibusq́ue vrbis arcere non poterant. Erant portæ duæ mare verſus tẽdentes militibus tormẽtisq́. bellicis munitæ, nec procul inde ſclopetarij aliquot ad viam in inſidiis collocati. Hîc propè copiæ noſtræ (quæ mille aut mille ducentorum erant vel prætерpropter) bipartitò diuiſæ fuere; eo conſilio, vt eodem tempore in vtramque portam impetum faceremus, nec prius cœpto deſiſteremus, quàm iterum in foro vrbis in vnum conueniſſemus. Statim vt tormenta in nos dirigi cœperunt, Vicarius noſter, voce magnâ ad animandos ſuos ſublatâ, omni ope ac vi irrumpere in vrbem adniſus eſt: ad cuius latus, primus è noſtris tormenti maioris globo ictus, cecidit. Quapropter ne illi iterum tormenta ſua implere poſſent, quantum potuit, impedire conatus eſt. Et iam, non quidquam etiam obſiſtentibus iis qui in inſidiis fuerant, magno impetu ac vi ſummâ in portas irruimus, vnaque cum illis coaceruatim indiſcriminatimque intrauimus vrbem: qui ſtatim fugâ potius, quàm ſuos hâc illâc diſperſos ſiſtendo aut recolligendo, vitæ ſuæ conſulere coacti fuerunt. Hunc igitur in modum ingreſſi, porrò ad forum ciuitatis ſtatim perreximus, locum ſpatioſum, quadratum, ad frontem Templi Maioris. quem ſtatim, alioſque quoſdam circumcirca, aggeribus vndiqueuerſum ductis muniuimus, & ibi (loco, vt nobis videbatur, tutiſſimo, & qui optimè defendi poterat) milites omnes noſtros collocauimus. Nec enim tantæ vrbis regiones omnes tantillâ manu militum obſeruari poterant. Poſtridie latiùs aliquantulum diffuſi, non tamen per dimidiam eius partem, loca adhuc alia nobis maximè commoda ac opportuna occupauimus; circaque ea foſſis vndique ductis, tormentis item bellicis vbique diſpoſitis ita, vt ſibi inuicem optimè reſponderent, vrbem per menſem integrum tenuimus. Per quod tempus ſæpius ab incolis ac ciuibus miſſi ad nos qui de ea pretio redimendâ nobiſcum agerent. De quo cũ conuenire inter nos illoſque non poſſet, ſingulorum dierum tempus matutinum incendendis ædificiis quæ extra vrbem impendimus: quorum altiſſimorum magnificentiſſimeque è lapide quadrato extructorum deſtructio ingenti labore nobis conſtabat. Et quamquam iuberemus per dies aliquot, ab aurorâ exoriente vſque ad æſtum diei maiorem (qui horâ nonâ incipiebat) ducẽtos ſocios nauales nihil aliud

 hil aliud

hil aliud agere, quàm in domos omnes quæ extra foſſas & aggeres noſtros, ignem inijcere, interim dum milites excubarent: tamen vix quartã vrbis partẽ diruere potuimus. tandẽque, aliò properátes, vigintiquinque millibus aureorũ eam redimi paſſi fuimus. Inter alia quæ relatu digna illic vidimus, non omittendum in Palatio ibi Regio, vbi Gubernator regionis habitabat, repertum magnum ac memorabile quoddam indicium Hiſpanici faſtus. Introeunti in aulam aliaq́ue Palatii membra per gradus latiſſimos ac faberrimè factos aſcendẽdum eſt: vbi ſeſe in ſuperiori domus parte ſtatim offert locus ſpatioſiſſimus; (porticum diceres) ad cuius latus alterum inſignia Regis Hiſpaniarum cuilibet intranti ſtatim obuia, ſubque illis globus ingens complexus ambitum maris totius & terræ, & in eo equus in pectus ſublatus, pedibus imis globo inſiſtentibus, prioribus autem extra eum erectis tamquam ſaltare vellent, cum hoc ſymbolo in ore: NON SVFFICIT ORBIS. Cuius dicti ſentẽtiam cũ præcipuos ex iis, qui ad nos vrbis redimẽdę cauſſa venerant, rogaremus: nihil quidẽ nobis reſpõderunt; ſed nũc aliò reſpicientes, nũc rubore ſuffuſi, capite in terram demiſſo, obmutuerũt. Quibus ita attonitis quidam è noſtris dixêre, quòd ſi Regi ipſorum cum Reginâ noſtrâ apertũ bellũ eſſet; breui illũ inanem illum faſtum exuturũ, potiusq́. de conſeruandis aduerſus noſtrorum hominum inuaſionem ditionibus ſuis cogitaturum: quemadmodum eis vrbs ſua tam facilè noſtris occupata ſatis documento eſſe poterat. Mirátur nonnulli, quòd in iſtâ ampliſſimâ, luculentiſſimâ, ac populoſiſſimâ vrbe, & in quâ rerum omnium ad noſtros reficiendos neceſſariarũ copia eſſet, non multum auri vel argenti reppererimus. Qui mirari deſinant, ſciantq́; iam diu eſſe cùm Indi inſulæ iſtius, Angliam magnitudine æquantis, indigenæ ab Hiſpanis indigniſſimè patriâ ſuâ exterminati fuerunt, vnaq́; cum iis etiam omnes quibus regionis auri vel argentifodinæ notæ erant. ita vt poſt monetâ duntaxat ærea ibi vſi fuerint, cuius nos etiam tunc vim magnam offendimus. Merces quæ illinc aduehuntur, præcipuæ ſunt, ſaccarum, zingiber ibi natum, coria boum qui eorum cauſſâ ſolum quam plurimi magnitudinis pinguedinisq́ue incredibilis in Orientali inſulæ parte, regione fertiliſſimâ, paſcuntur. Multum etiam ibi vini præſtantioris, olei, aceti, item farinæ optimæ in doliis repertum; nec non panni, lini ſericique aliquantum ex Hiſpaniâ eò nuper vecti. Supellectilis argenteæ, pro magnificentiâ ciuitatis reliquâ, non ita magna copia erat; quod re-

gionibus

gionibus illis calidis maior vſus ſit vtenſilium ex argillâ elegantiſſimè vermiculatâ (quam Porcellinā ibi vocant, eò ex Indiis Orientalibus vectam) & vitrorum, quæ ibi quàm optima conficiuntur. Verum tamen ibi etiam nonnulla vaſa argentea repperimus, quæ illis impenſo pretio comparata, & nobis nō magni momenti erant. Inde continentem verſus tetendimus; ad cuius oram venientes, vrbem *Cartagenam* tandem in conſpectu habuimus, tam prope littus maris ſitā, vt qui in actuariis nauibus noſtris eſſent, inde in eā Colleurinis ſuis facile iaculari poſſent. Quinque milliaribus noſtratibus ab vrbe in portum primùm intrabatur, quem, nemine prohibēte, nam propugnacula aut tormenta bellica ibi nulla, ſub horam quartam pomeridianam ſubiuimùs. Cùm iam aduesperaſceret, duce Vicario Carleil, prope os portus, in terram deſcendimus. Compoſitoque agmine ad reſiſtendum, ſi fortaſſis quis nos in viâ oppugnare aut ex inſidiis adoriri vellet, ſub mediam noctem pedetētim per littus arenoſum inceſſimus: ne iterum, vt paullò antè, errore illius qui nos ducebat, à viâ aberraremus. Vix dimidio miliari ab vrbe aberamus, & ecce centum inde equites in nos veniunt: qui ad primos iactus ſclopetariorum noſtrorum in fugam dati, cum viâ arboribus ſentibusque obſitâ, ac per id valde ſibi incommodâ, nobis occurriſſent, eò vnde venerant ſe receperunt. Circa idem tempus prope portum fragor ingens tormentorū bellicorū nobis auditus, ſignū à Generali datum, Viceadmiralio, Capitaneis Frenar, Whyte, Croſſe alijsque, vt tunc cum actuariis aliquot nauigiisque minoribus propugnaculum minus ad introitum portus vrbi proximum, adorirentur. Qui conatus, quòd locus munitiſſimus, introitusque anguſtiſſimus ac catenâ ferreâ clauſus eſſet, fruſtra fuit: nec quidquam aliud tunc effectum, quàm vt illi qui miliari integro ad alteram portus partem a nobis aberant, ad arma concitarentur. Copiis noſtris iam nunc diſpertitis, dimidio ab vrbe miliari via quâ incedebamus, valde anguſta erat, quæ duntaxat quinquaginta paſſus lata ab vnâ parte mare littus alluens, ab alterâ illud ad quod portus erat, habebat. Hîc locus foſſâ extrinſecus cinctus, muroque è lapide elegantiſſimè ac ad tormenta diſponenda commodiſſimè extructo munitus erat. quo quidem opere nihil effectius fieri poſſe arbitror. In eo non plus loci aperti erat, quàm quâ equus duntaxat aut plauſtrum, ſi forte opus, tranſire poſſet, idque doliis glebarum plenis, vice aggerum, contra impetum hoſtilem optimè munitum. Sex in hoc propugnaculo

 tormenta

tormenta maiora erant, quæ in frontem agminis noſtri dirigebantur. Erant etiam a parte portus triremes duæ, ſiue, vt hodie vocantur, Galeræ, vndecim tormentis trecentisque aut quadringentis ſclopetariis inſtructæ, qui nos etiam à latere petebant: propugnaculum autem ipſum à trecentis tum ſclopetariis tum lanceariis defendebatur. Qui omnes, nos ſedulò expectãtes, ſæpius Canonibus ſclopisque ſuis intonuerunt. Sed nos, antequã luceſceret, opportunitate tenebrarum vſi, iuſſu Vicarii Generalis, incedentes ſemper per arenam quam mare, quod iam plurimum receſſerat, proximè alluebat, occultè propiùs ad illos acceſſimus: ita vt ferè omnes tormentorum ſcloporumque illorum iactus quibus nos procul arcere ſperabant, vanos fuiſſe appareret. Hîc Vicarius idem Generalis quemquam noſtrûm, antequam ad murum ipſum eſſemus, eiaculari vetuit. Vbi ſimul quâ ſclopis quâ lanceis quam potuimus maximum in aggeres illos doliorum, locum quem primum aggrederemur opportuniſſimum viſum, impetum fecimus: eosque, quanquam a ſclopetariis ac lanceariis validiſſimè tutarentur, rupimus euertimuſque. Et ſtatim, ſclopis noſtris euacuatis, mixtim vnà cum illis intrauimus. Lanceæ noſtræ quàm illorum longiores, corporaque melius armata erant: quocirca nec telorum nec gladiorum noſtrorum ictus ſatis ſuſtinere poterant. Cumque iam locum cedere nobis cogerentur, impetu primo, Vicarius Generalis noſter Vexilliferum Hiſpanum ſtrenuiſſimè vſque ad mortem ſeſe defendentem manu ſua interfecit: nosq. illos confeſtim inſecuti ſumus, reſpirandi eis tẽpus nullum aut locum dantes; & tandem vſque ad forum ciuitatis peruenimus, quod, aliquandiu ab illis fruſtra cõtra nos defenſum, facilè occupauimus. Tum illi nobis vrbem totam vacuam reliquerunt, ſeſeque extra eam omni eo tempore, quo ibi eramus, continuerunt. Singulorum vicorum exitus aggeribus è terra & extra eos foſſis artificioſiſſimè ductis muniuerant, eorumque etiam introitus diligentiſſimè obſeruabant. quorum cuſtodes, paucis interfectis aut vulneratis, facilè a noſtris expugnabantur. Sagittarios etiam Indicos multos numero locis ſibi quam opportuniſſimis collocauerant, qui quantum poterant tela ſua venenata in nos torquebant. Horũ ictus ſinguli, ſi cutem modò penetrarent, letiferi erant: resque incredibilis ac admiratione maximè digna videbatur, ſi quis ab iis tactus, mortem euaderet. E medio igitur aliquot è noſtris ſagittis illi ſuis ſuſtulerunt, quoſdam baculis breuioribus præacutis, cuſpide veneno imbutâ,

imbutâ, quos pluſculos ad viam maiorem quà tranſire debebamus in terram fixerant, ita vulnerabant, vt a morte non procul abeſſent. Sed eorum ictus plerosque per littus maris, non illâ quà putauerant, incedentes, vitabamus. Multa hîc tum temporis accidere alia quæ, cùm otium ad ea referenda non ſit, volens prætermitto. Inter quæ illud fortaſſe etiam non indignum relatu videatur, quemadmodum Capitaneus Sampſon qui lãceariis primi agminis præerat, primo introitu crebra per gladiorum ictus vulnera acceperit? item vt Præfectus vrbis Alfonſus Brauus ſeſe a Capitaneo Goringe qui in eodem agmine ſclopetariis præerat, ab eo prius enſe vulneratus, capi paſſus ſit. Erat etiam in primo agmine Capitaneus Wynter, & ipſe quoque Vicarius Generalis. Capitaneus Powel Sergantus Maior medium: Morgan, qui ad fanum S. Dominici primo præfuerat, nouiſſimum agmen ducebat. Denique omnes tam lubenti alacrique animo in hoſtes irruerant, vt illi impetu tanto ſuſtinendo non eſſent. Hic ſex ſeptimanas morati ſumus, nec morbus ſuprâ dictus noſtros interim, non tamen numero tantos ſimul aut tam vehementer, vt antè, vexare deſiit. è quibus pauci qui eo laborauerant, ad priſtinas vires, imò vix etiam ad mentem redire poterant. Vnde prouerbiũ inter noſtros erat in minus conſideratè loquentẽ, vt eum *Calentoura* (ſic calida febris Hiſpanis dicta) laboraſſe diceremus. Erat enim hæc (vt ſupra etiam diximus) calida, continua, & peſtifera febris. quam ex aëre veſpertino impuro, quem *Serenam* vocant, ibi hauſto natam volunt. Quemlibet enim circa veſperam ibi ſub aëre manentem, niſi Indus vel regionis indigena ſit, eo infici ac pòſt peſtiferâ iſtâ febre corripi, certò affirmant. Noſtri autem plerumque ſub cælo iſto contagioſo, & cumprimis in inſulâ D. Iacobi, excubias agebant. Et tunc morbus hic continuus quam maximè numerum noſtrorum diminuens, ne iter porrò inſulam *Nombre de Dios* verſus, indeq. terrâ in *Pannaniam*, cœptum abſoluere poſſemus, impedijt. vnde auri argentique vim multam, præmium continui laboris noſtri, auferre & aduehere ſperabamus. Ac ideo primùm *Cartagenæ* redire in patriam, nobis ſententia ſtetit. Vbi, vt etiam antè ad fanum D. Dominici, Hiſpanis quam familiariſſimè vſi ſumus, ſæpiusque illos, vt & illi nos viciſſim, quam prolixiſſimè conuiuio excepimus: ita vt & Præfectus vrbis ipſe cum Epiſcopo nobilibusque aliquot aliis, Gubernatorem noſtrum officij cauſſâ adiret. Multa hîc etiam, quemadmodum & illic, ædificia

extra

extra vrbem incédimus diruimusque: quod primo colloquio etiam de pretio redemtionis inter nos conuenire non poſſet. Pòſt tamen conuênit, pro reliquâ vrbis parte, quæ ad huc ſtabat, centum & decem millia aureorum nobis ſoluerent. Vrbs hæc, vt vides, licet fano S. Dominici dimidiâ parte minor, multò maius pretium redemtionis ſui numerauit: quæ opulentior longè tum ob portum quem habet commodiſſimum, & quòd ſita loco vnde merces commodiſſimè in inſulam *Nombre de Dios* aliasque regiones tranſuehuntur, mercatoribusque ditiſſimis inhabitata, iure maioris momenti nobis habita fuit. Fanum verò S. Dominici Nobilibus, Iuriſconſultis, ijſque, qui iuri dicundo præſunt, maiorem partem incolitur eſt enim ibi curia, ad quam incolæ inſulæ iſtius aliarumque vicinarum prouocare conſueuerunt. Rumor autē Fani S. Dominici a nobis occupati viginti dies antequam eò appelleremus, ad illos peruenerat: qui tempus eis ſeſe contra nos armandi interim, ciuitatisque muniendæ, & auri ac argenti vim omnem & quidquid momenti ibi maioris aliò tranſportādi, abunde ſatis dederat. Hic igitur, vt eò vnde digreſſus ſum redeam, cùm ſex ſeptimanas morati fuiſſemus, ad naues reuerſi, vela ventis tradidimus. & iam vix duos aut tres dies in mari fueramus, cùm ecce, nauis quædam quam in Inſulâ S. Dominici ceperamus, tormentis bellicis ac ære multo omnique præda alia onuſta (quapropter eam Strenam anni noui vocabamus) rimis fatiſcere atque aquam admittere cœpit; ita vt etiam tandem à claſſe reliqua aberraret. Quam Generalis noſter, nuſquam à ſe poſtridie viſam, claſſe omni variè eam in rem hîc illic diſperſa, quærere inſtituit: eamque tandem rimis pluribus fatiſcentem, & ſocios nauales ſentinando perquam fatigatos offendit. Iuſſit etiam, eam nauim aliam Tallebot nomine, a tergo ſequi, ad recipiendos ſi fortaſſis ſubmergendi periculum adiret, conſeruandosque vectores, & ipſe cum tota claſſe *Cartagenam* rediit. Vnde, poſtquam fractæ iſti naui exonerandæ oneribusque ac vectoribus in alias naues imponendis octo vel decem dies ibi impendiſſemus, verſus Occidentalem *Cubæ* regionis partem *Capo S. Antonio* dictam tetendimus. eoque V. Kalend. Maias appulimus. Sed inde, inopia aquæ recentis, ſoluere ſtatim coacti ſumus, cum bona ſpe *Matancas* vſque, regionem verſus Occidentalem *Hauanæ* regionis partem ſitam, vento ſecundo perueniendi. Sed is vbi poſt quatuordecim a diſceſſu iſtinc noſtro dies, aduerſus flare cœpit, *Capo S. Antonio* nos redire coëgit.

Vbi tan-

Vbi tandem aquæ recentis, neceſſitate nimia, rerũ magiſtra optima, nos eam diligentius quærere cogente, ſed pluuiæ dumtaxat & è puteis ſcrobibusque paluſtribus trecentos circiter paſſus à mari hauriendæ, copiam ſatis magnam inuenimus. Non hîc tacenda vigilantia ſumma Generalis noſtri, qui hîc vt & antè vbique, exemplo ſuo reliquos incitans, non ſecus quàm vnus è minimis, aquæ quam citiſſimè hauriendæ operam omnem adhibuit. Sed & is tantâ cum prudentiâ ac curâ, & ſæpe non abſque vitæ ſuæ periculo, claſſi ſuæ præfuit atque quam optimè diſpoſitæ vbique & ſemper proſpexit: vt etiamſi, vt è ſuis quilibet alius, imperatis dumtaxat tantâ cum laude paruiſſet, primo honoris loco meritiſſimò dignus haberetur. Qui etiam felix Vicario tanto Capitaneo Carleil, cuius conſilia certiſſima inque rebus gerendis ſolertiam non niſi felici euentu vmquam experiebatur. Laus verò illa vtrique communis erat, quòd omni tempore & loco vnumquemque, prout merebatur, pœna aut præmio afficerent. III. Idus Maias iterum *Capo S. Antonio* ſoluimus: & v. Kalend. Iun. iuxta *Capo de la Florida* nauigantes, nuſquam appulimus: donec, toto illo die eamdem regionem *Floridam* ſemper a latere habentes, procul, Septemtrionem verſus, ſpeculam quamdam ligneam quatuor malis naualibus ſubnixam, in quam per triginta gradus aſcendebatur, conſpeximus. Ad quam actuariis nauibus noſtris terram ingreſſi, per ripam fluminis aliquandiu inceſſimus; ſi fortaſſis ad quæ loca ab hoſte ibi tenta tandem peruenire poſſemus. non enim hîc quemquam itineris ducem, aut locorum iſtius regionis gnarum habebamus. Generalis noſter Vicariũ ſuum primum agmen ducere iuſſit. Sic iam vix milliare integrum progreſſi, propugnaculum quoddam nuper ab Hiſpanis extructum ad alteram amnis ripam, indeque milliari altero diſtans oppidum mœnibus nullis munitum, aedificiisque ligneis temerè cõſtructum, in conſpectu habuimus. Hîc tormenta noſtra ad diiiciendum propugnaculum parauimus, vnumque ex iis ante veſperam è regione eiuſdem collocauimus. Primus globus ab ipſo Vicario Generali in vexillum hoſtium emiſſus fuit, qui id medium tranſuolauit: quemadmodum è Gallo quodam qui ab illis ibi aliquandiu in carcere detentus fuerat, pòſt intelleximus. Tormentum deinde alterum in inferiorem propugnaculi partem, quæ è tigno ligneo erat, direximus. Eâdem illâ nocte Vicarius Generalis cum quatuor vexillis militum flumen traiicere, ſuosque ibi loco foſſis vndique munito tam

C vicinos

vicinos propugnaculo ipſi, vt ad id inde ſclopetarii noſtri facilè pertingere, & quemcumque caput ibi altius erigentem percellere poſſent, collocare; item tormenta etiam ſua in hoſtes ſtatim dirigenda eò tranſuehere decreuerat: ſed cùm nauales ſocii ad ducendas foſſas præſtò non eſſent, negotium illud omne in proximam noctem delatum fuit. Et mox eòdem illâ nocte Vicarius Generalis comitibus ſex benè armatis, Capitaneis videlicet Morgan, Sampſone, quatuorque aliis, ſcaphâ remis actâ explorare iuit, qualiter hoſtium vigiliæ diſpoſitæ eſſent, & quâ commodiſſimè vlterius in regionem illam pergere poſſemus. Quibus, etſi ſeſe quantum poterant tacitè tectèque per viam gererent, procul viſis, hoſtes ſtatim, putãtes noſtram manum omnem iam eò ad ſeſe oppugnandos veniſſe, arma, & mox, tormentis prius aliquot euacuatis, etiam fugam corripuerunt. Et quidem Vicarius Generalis iam ad nos redierat, neſcius num propugnaculi ab illis derelicti; donec tibicen quidam Gallus fiſtulâ ſuâ canticum in laudem principis Auriaci, vulgò tritum, canens, inde a noſtris ad ripam fluminis excubias agentibus venire cernitur. qui ab illis compellatus, priuſquam è nauiculâ ſuâ exiret, qui ipſemet eſſet, tum quemadmodum Hiſpani propugnaculum ſuum deſeruiſſent, indicauit. Ad cuius rei fidem ſeſe in manus noſtras dabat, & nobiſcum eò redire, ſeſe paratum dicebat. Cui fidem habens Generalis noſter, cũ Vicario ſuo aliquotque Capitaneis aliis actuaria naui, item Viceadmiralius cum duabus tribúſue minutis etiam nauibus militum plenis, iuſſis actuariis reliquis ſequi, ſecundo flumine ad propugnaculum contenderunt. E quo, vt propiùs acceſſimus, ab illis qui audaciores reliquis ibi remanſerant, duobus iactibus tormentorum petiti fuimus. Quorum neminem, vt in terram deſcendentes propugnaculum ſtatim intrauimus, pòſt ibi offendimus. Muri autem huiuſce propugnaculi è malis naualibus trabibuſque ligneis aliis, in modum Paliſſadorum (ita hodie genus quoddam loci muniti vocamus) conſtructi: foſſæ verò quæ extra eos, necdum ad finem omnino perductæ erant. quas, vt & propugnaculi eiuſdem partes alias, ſpatio quatuor menſium ante noſtrum aduẽtum, perficere non potuerant. Et idcirco id diutius tenere, noſtris aduentantibus, aut defendere non poterant. quod etiam ideò non temerè ab illis deſertũ fuiſſe, exiſtimandum eſt: quia præterquam quod facilè expugnari, haud difficulter etiam incendi potuiſſet. Tormenta ibi, quatuordecim numero, ſuper aggeres è truncis pineis

ſibi inui-

ſibi inuicem ſuperpoſitis & in modum rotæ connexis, terræ aliquammulto hîc illic interſperſo, collocata erant. Arca etiam adhuc clauſa in qua pecuniæ Regiæ, de quâ ſtipendia militibus illic numerari conſueuerant, duo millia librarum Sterlinarum noſtratium erant, reperta ibi nobis fuit. Propugnaculo igitur Sancti Ioannis (ita id vocabant) ad eum modum occupato, oppidum quoque ipſum adire tentauimus: ad quod vſque vicem illam, ob flumen interiacens, peruenire non potuimus. Sed ſtatim viâ aliâ, ad naues noſtras reuerſi, ſecundo maiori flumine (quod etiam S. *Auguſtini* flumen ab ipſo oppido dicebatur) eôdem rurſus tetendimus. Quò cùm iam perueniremus, ac in terram ire parati eſſemus: inde nobis ſe milites aliquot procul oſtenderunt, qui confeſtim, ſclopis ſuis in nos directis, fugam arripuerunt. Simulque vt in terram deſcendimus, ſtatim Sergantus Maior noſter, equum quemdam, quem ibi ephippio frenoque inſtructum repperiebat, inſcendit; ſi fortaſſis quempiam aufugientium adſequi aut capere poſſet. Qui ſolus iam, relictis poſt ſe a tergo ſociis ſuis, à quodam in inſidiis poſt carecta latitante, caput medium globo ſclopi traiectus, &, antequam ei quiſquam è noſtris ſubuenire poſſet, à tribus ſimul quatuórue illorum certatim gladiis pugionibusque ingeſtis confoſſus fuit: & quidem non parum nobis deploratus cecidit. erat enim vir cumprimis egregius, veteranusq. & maximi animi miles. In *Fano* autē *S. Auguſtini* centum quinquaginta, totidemque in loco altero duodecim inde leucas Septemtrionem verſus diſtante *S. Helena* dicto, ad arcendos inde exteros omnes, (vt Anglos Gallóſve) ſi fortaſſis etiam loca illa incolere vellet, Rex milites in præſidio habebat. Quibus omnibus præerat Petrus Melendez Marchio, nepos iſtius Admiralij Melendez, qui quindecim ſedecimue annos antè claſſem Ioannis Haukins noſtratis, contra fidem datam, in portu *Mexico* inuaſerat. Is igitur vtrique præſidio præfectus in oppido, nobis aduentantibus erat, primusque etiam id deſerebat. Vbi inter noſtros, conuentu Capitaneorum omnium, concluſum fuit, vt inde quamprimum propugnaculum *S. Helenæ* occupare tentaremus: ac mox eiuſdem regionis tractum quemdam Anglis noſtris inhabitatum, atq. à Regina noſtra virgine *La Virginia* dictum, qui inde Aquilonarem partem verſus circiter ſex gradus (vt hodie loquimur) diſtabat, inueſtigaremus. Cùm iam autem à *S. Helena* non procul abeſſemus, ob vadoſa illic arenoſaque, ac per id perquam periculoſa, multa loca,

cùm præſertim nautam neminem viæ ibi peritũ haberemus;euitãdi diſcriminis,nuſquã appulimus,ſed vlterius porrò perreximus. nam Admiralius noſter præcedenti nocte quatuor leucis a continente maris ibi profunditatem explorauerat, eamque dumtaxat trium vlnarum & dimidiæ eſſe deprehenderat. Et tamen erant qui nobis dicerent, quòd ope naucleri vadorum ibi periti, naues quælibet noſtris oneratæ ac grandes magis, eò facilè appellere poſſent. Itaque mari vadoſo, leucâ vnâ atque alterâ a littore perquam depreſſo, oram iſtius regionis, inſulis pluſculis diſtinctæ, aliquamdiu legimus. Et tandem V. Idus Iun. viſo procul ingenti igne, quem in toto illo tractu vbique accendi, moris eſt, Generalis noſter ſcapham ſuam cum ſociis aliquot naualibus ad littus miſit: qui in regione illa aliquot Anglos offenderunt, exque iis vnum ad nos ſecum aduexerunt, qui nobis viam ad portum indicauit. Quem cùm noſtræ naues intrare non poſſent, anchoras extra eum iecerunt. vbi eas, poſtridie quàm appuleramus, tempeſtas ingens corripuit; vt pleræque anchoras leuare ac vela facere cogerentur: quarum quædam ad reliquam claſſem, aliæ rectà in Angliam redierunt. Hîc Generalis noſter, Capitaneorum omnium, Radulpho Laue Generali Anglorum qui in *Virginia*, ei & ſuis, de rebus omnib. maximè neceſſariis prouidere offerebat, nauimque maiorem vnam è ſuis cum actuariâ ibi relinquere, quâ, ſi intra menſem numerus militum, qui dumtaxat id temporis centum & quinque erat, non suppleretur, in Angliam redire poſſet. Sed illi adeò inopiâ rerum omnium ibi preſſi ac fracti erant, vt nihil prius optarent, quàm quamprimùm nobiſcum in patriam redire. Itaque mox in naues noſtras recepti, nobiſcum inde ſoluerunt. Tandemque omnes ſimul viuentes & valentes VI. Kal. Auguſti ∞. Iↄ. LXXXVI. Portiſmotham appulimus. Deo ſit gratia, laus, honor qui feliciter hanc expeditionem noſtram cedere dedit, non ſine Principis noſtræ ac patriæ & noſtrûm omniũ honore. Præda omnis noſtra ſexaginta millibus librarum Sterlinarum noſtratium æſtimata fuit: è quibus militibus ſociiſque naualibus noſtris viginti millia cedere debuerunt. Ex omni autem numero eorum qui expeditioni huic interfuerunt, circiter ſeptingenti & quinquaginta deſiderati fuerunt. è quibus qui alicuius nominis tam morte violenta quàm morbo aut aliter perierunt, nomina ſunt iſta. Capitaneus Powel, Capitaneus Bigges, Capitaneus Varney, Capitaneus Cicel, Capitaneus Moone, Capitaneus Haman,

Capitaneus

Capitaneus Forteſcue, Capitaneus Greenefield: Vicarius Thomas Teucker, Vicarius Alexander Starke, Vicarius Eſcot, Vicarius Vincentius, Vicarius Waterhouſe: Nicolaus Winter, Alexander Carbeill, Robertus Alexander, Scroup, Iacobus Dier, Petrus Duque. aliquotque alii, quorum iam in mentem non venit. Ducenta quadraginta tormenta bellica tum ænea tum ferrea nacti fuimus; & ducenta quidem ænea. in inſula D. Iacobi quinquaginta duo vel tria; ad Fanum D. Dominici circiter octuaginta, quæ maiorem partem maiora erant, vt Canones, Semicanones, Colleurinæ, Semicolleurinæ & id genus alia; Cartagenæ ſexaginta duo vel tria, quorum etiam maior pars maiora erant; in propugnaculo S. Ioannis quatuordecim. Plæraque autem ferrea ex vrbe D. Dominici, & Cartagena aduecta fuerunt.

FINIS.

0278


CIVITAS S Dominici ſita
in Hiſpaniola Indica Angliæ mag:
nitudine fere æqualis, ipſa vrbs elegan:
ter ab Hiſpanis extructa, et omnibus
circumuicinis inſulis iura dat
NEC SPE NEC METV


OPIDVM S Auguſtini ligneis ædibus conſtructum,
amœniſſimos habuit hortos, vtiq; ſolo fœcundiſſimo.
a nobis vero cum inde ſolueremus iniecto igne in
cineres redactum. Præſidium hic erat 150 Hiſpanorũ,
aliudq; item eodem numero ad duodecim Septentrionẽ
verſus leucas in loco S Helenæ dicto. hæc enim præ:
ſidia quemadmodum canes in præſepi non alio conſilio diſpoſita
erant niſi ad prohibendo. Anglo et Gallos ne interiectam
regionem quæ prorſus inculta iacet, occuparent
L
K
N
I
H
G
P


HOC OPIDVM diui Jacobi eo nomine quo inſula vocatr
et comercium habet cum Guynea et adiunctis regionibus Affricæ,
vnde merces in Luſitaniam deuehunt
INSVLA DIVI
Jacobi eſt clariſſima omniū
quæ ſunt in ora Affricæ ex
aduerſo Cap Virid vnde hec
et reliquæ vicinæ inſulæ Cap
Viridis denominantr quiquam
ab ipſo Cap leucis plus minus
abſunt

-0278-

D588
B592e

H T